Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1573

Quelle:
Copyright:

nomine domini Amen. Nos Alſſo de riſenburg alias de wzzeſtiow Gubernator regni Bohemie Barones Nobiles milites Clientes Praga ciuitas &c. Extant apud *Leibnit.* in *Mantiſſa Cod. Dipl.* P. II. in *Cochlaei Hiſt. Huſſit.* ad annos memoratos et *Cod.* noſtro DCCCCLXVIII.

VII. *fol.* 168. *Epiſtola transmiſſa Summo pontifici Eugenio ex parte Morboſani Anno domini 1444. dum proſtratus eſſet rex polonie* (Uladislaus) *cum exercitu et Juliano* (Caeſarino Card.) *legato.* Videlicet ad *Varnam.* Initium: *Morboſanus beberi yeſi cum fratribus ſuis* &c. monſtris nominum. De futilibus ejusmodi figmentis diximus ad *Codd.* varios.

VIII. *fol.* 169. p. 2. Narratio ſive Diarium eorum, quae geſta ſunt *Pragae* a *Johanne de Carvajal* S. Angeli Card. Legato *Nicolai* V. anno 1448. maxime in cauſſa *Joh. Rokyczanae* Archiepiſcopatum ambientis a die adventus, qui erat profeſtus Aſcenſionis D. usque ad feriam 5. inſequentem. Quaedam de hac legatione memorantur in vita *Carvajalii* apud *Ciaconium Vitt. Pontiff.* T. II. *col.* 926. plura in *Cochlaei Hiſt. Huſſit.* L. X. p. 349. Non erit tamen ſuperfluum, Exemplum noſtrum hic integrum adtexere, quod ſic habet:

Primo dominus Legatus venit Pragam in vigilia aſcenſionis domini hora XVIII. vel quaſi et ibi honorifice ſuſceptus Anno domini 1448. Sabbato magiſtri venerunt ad eum et ibi in ſua collatione propoſuerunt primo, qualiter letabantur de exaltatione ſanctiſſimi patris Nicolai pape quinti, per quem etiam ſperant, quod dominus Deus eſt daturus dona celeſtia huic regno, que dona, ut ſperamus, reuerentia pape quinti nobis in conſolationem attulit. Item de Bulla regratiabantur. Ad primum reſpondit, quod utique dona celeſtia eis attulit, ſcilicet pacem que de ſurſum eſt Jeruſalem et cum illa pace ſingula bona cetera; quam ſi ſuſcipere velint, dona celeſtia a domino Deo et ſanctiſſimo papa noſtro allata ſunt. Ad ſecundum reſpondit, quod conſiderat, pietatem et benignitatem ſanctiſſimi patris contra filios: videte ergo ne poſt plangendo dicat pater ſanctiſſimus, filios enutriui et ecce ipſi ſpreuerunt me. Tunc magiſter Rokocin (Rokyczana) *dixit: A. a. a. domine neſcio loqui, p. e. ſ. reſpondit: ſi pueri eſtis et loqui neſcitis pono verba in ore puerorum, tunc enim pueri bene loquentur, quod ſanctiſſimus pater et ſedes apoſtolica loquitur et ſapit. Dominica poſt equitauit ad caſtrum ſancti Wentzeslai et ibi miſſam audiuit de ſancto ſpiritu, poſtquam introductus fuiſſet ad eccleſiam monialium ſancti Georgii, tunc redeundo inquiſiuit, an eſſent etiam hic communicantes ſub utraque ſpecie; et dictum eſt, quod ſic, reſpondit, ſi ſciuiſſemus nunquam hic intraſſemus, nec aliquam gratiam eisdem contuliſſemus. Feria ſecunda intrauerunt pretorium domini ad deliberan-*